



## **De Probatis|| Sanctorvm|| Historiis**

Partim|| Ex Tomis Aloysii Lipoma-||ni, Doctissimi Episcopi, Partim Etiam||  
Ex Egregiis Manuscriptis Codicibvs, Qvarvm permultæ antehàc nunquàm  
in lucem prodière

Qvi ... Illas Omnes Complectitvr Historias, Qvæ Post Secvndam Sex  
Tomorvm Editionem ...

**Surius, Laurentius**

**Coloniae Agrippinae, 1586**

**VD16 ZV 1269**

De S. Vigilio Episcopo Tridentino & martyre.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77432](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77432)



brevi (sicut scriptura loquitur) explevit tempora multa. Placita enim erat Deo anima ipsius. Et iure consummatus in brevi, multa tempora dicitur explevisse, qui dum in eo parvo, quod vixit, iustitiam tenuit, quantum ad se, omnia tempora in obsequium conditoris expendit. Planè quicquid illic de sancto viro sapientia loquitur, ita huic per omnia congruit, ac si de illo specialiter diceretur. Senectus, inquit, venerabilis est, non diuturna, nec numero annorum computata. Cui sunt autem sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata placens Deo. Unde & sequitur: Factus dilectus, & vivens inter peccatores, translatus est. Raptus est, ne malitia mutaret intellectum eius, aut ne fictio deciperet animam eius. Propter hoc properavit educere illum de medio iniquitatis. Amen.

VITA SANCTI VIGILII MARTYRIS  
ET EPISCOPI TRIDENTINI, UT HABETUR IN FRON.

te operum eius contra Eutychem tomo quinto Bibliothecæ

SS. Patrum, Margarini de la Bigne Doctoris  
Theol. Parisiensis.



VIGILIVS patria Romanus, illustribus ortus paren-  
tib⁹, Athenis liberales artes, & sacras literas didicit,  
breuique tantum sibi pietatis & eruditionis thesau-  
rum per Dei gratiam comparavit, ut annos natus  
viginti, ab Aquilegensis Episcopo, ad quem divina  
delatus fuit providentia, pastor ordinaretur Tridē-  
tinorum, quibus mira fide & constantia Euangeliū  
Iesu Christi prædicavit, & potentiam beneficiumq;  
eius, miraculis in Christi nomine designatis com-  
mendavit. Cæcis enim visum & surdis auditum red-  
didit, mutorum linguas soluit, & dæmoniacos, &  
varijs morbis vexatos sanavit. Præterea styllum in  
hæreses strinxit, & hæreticos, ut sinceritatem do-

26 Junij.  
Parentes  
& patria  
sancti Vi-  
gilij.

Creatus  
Tridentin⁹  
Episcopus.

Miracula  
eius.

ctrinæ Apostolica plenè assereret, & purgatam Ecclesiæ Christo contradere. Ex-  
tant hodie quinque eius libri contra Eutychem: non extant, quorum in quinto  
libro meminit. Ait enim se libros aliquot composuisse de Conciliorum decretis,  
& nominum religiosè novitate, contra Sabellium, Fotinum, & Arrium. Porro  
cum divinæ bonitati iam visum esset fidelem servū in gaudium Domini sui intro-  
ducere, placuit ipsum prius martyrij quoque corona decorare. Quemadmo-  
dum itaque hæreses constanter impugnarāt, ita idololatriam nefariam funditus ex-  
tirpatam cupiebat. Prostabat autem in valle illa quæ flumen Sarcham fundit, Sa-  
turni æreum simulacrum, quod incolæ homines feri & agrestes, magna religione  
venerabantur. In hanc itaque serendi Euangelici seminis gratia profectus Vigili-  
us Raudenam, fratribus germanis Claudiano & Maiorano, Iuliano item presbyte-  
ro comitibus, peruenit, ac protinus in ipsum idolum incidit. Zelo itaque Dei exar-  
stuans, spiritu lætus ac alacer, Saturnum aggreditur, ac spurcum idolum deijcit, frā-  
git, & in præterfluentem conijcit, ut turpissimæ rei vel memoria apud posteros in-  
teriret, solius autem Domini nomen sanctificaretur & regnaret. Mox verò in ba-  
sim seu fulcrum deiecti idoli residens vir Dei, verbum Domini illis, qui eius faci-  
noris spectatores fuerant, prædicare cœpit, testificans salutem veram non aliunde  
vel sperandam vel petendam esse, quàm à Iesu Christo, Dei & hominis filio. Cæte-  
rum barbari & impij idololatræ, deum & religionem suam contumelia affectum  
putantes, concurrunt, & servum Christi, animam suam Patri commendantem, la-  
pidibus sternunt, obtegunt atque collidunt, anno ætatis suæ quadragesimo, Episco-  
patu vigesimo.

Libri.

Confrin-  
gie Satur-  
ni simula-  
crum.

Lapidibus  
obruitur.

Floruisse videtur sub Imperatore Anastasio: quo tempore & Gela-  
sius Antistes Romanus, & Fulgentius Apher claruere,  
circiter annum Domini 500.